





1714, 159<sup>a</sup> 6  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
*D E*  
**PROBABILITA-**  
**TE EJUSQUE EF-**  
**FEKTU,**

QVAM  
DEO T. O. M. ADNUENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO CAROLO,**  
PRINCIPĒ BORUSSIÆ, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*EX DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSIRIS ICTORUM ORDINIS*

PRAESIDE  
**DN. JACOBO FRIDERICO**  
**LUDOVICI,**

J. U. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.

**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI.  
in Auditoriis majori horis ante - & pomeridianis

d. Nouembris. A.R.S. MDCCXIV.

*PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT*

**IO. GERARDUS SCHLITTE**, Halberstad.

HALAE MAGDEB. Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.







DISSSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
PROBABILITATE EJVSQUE  
EFFECTU.

CAP. I.

De Probabilitate ipsa.

CONTENTA HUJUS CAPITIS.

**P**robabilitas in sensu philosophiae rationalis opponitur evidentiæ. Hec vel ex ostensione, vel demonstratio-  
ne oritur & scientiam parit, §. I. probabilitas quem  
nam sit? opinio, verosimilitudo. cause, quare plurimi ho-  
mines falsas opiniones foueant, §. II. an fides peculiarem spe-  
ciem evidentiæ & probabilitati contradistinctam constitutat?  
§. III. definitio probabilitatis Aristotelica, cuius absurditas  
ostenditur, §. IV. tres diversi gradus probabilitatis, siue ve-  
rosimilitudinis logica, §. V. probabilitas, quatenus in philosó-  
phia morali consideratur. Conscientia recta, probabilis, dubia,  
§. VI. regula de conscientia recta ejusque effectu, §. XII. regula  
prima de conscientia probabili a Pufendorffio addata, que non  
ad eo adcurata esse videtur, §. IX. regula secunda, §. IX. regula

A 2

ter-

CONTENTA CAP. I.

erit. *Dissensus Jesuicii, Ferdinandi a Castro Palao, ejusque rationes pro stabilienda sententia sua, §. X. refutatio rationum ab ipso adductarum, §. XI. alia ineptia Ferdinandi a Castro Palao, §. XII. XIII. monitum circa regulam tertiam ejusque exceptionem a Pufendorffo adductam, §. XIV. regula quarta de conscientia probabili, que certo respectu addimititur, §. XV. regula quinta, que etiam admittitur, §. XVI. regula sexta & septima potius ad conscientiam dubiam, quam probabilem referenda esse videtur, §. XVII. transitus ad doctrinam de probabilitate, sive de probabilismo Jesuitarum. Autores huc pertinentes antiquiores & recentiores, §. XVIII. summa doctrinae Jesuitarum de probabilitate. Absurda encomia Diana, que Caramuel eidem tribuit. Autores, qui contra probabilismum scriperunt, §. XIX. Rabbinorum doctrina conuenientia cum doctrina Jesitarum, §. XX. probabilitas in jure diuersis modis accipitur, ut de eo, quod bonus pater familias facere consuevit, §. XXI. probabilitas juris quanam sit? §. XXII. probabilitas intuitu facti. Ejus acceptio abusiva, §. XXIII. vera probabilitas exponitur & describitur, §. XXIV. & probabilitas facti & juris ad nos in praesenti spectat, §. XXV. probabilitatis synonymum in jure est verosimilitudo, §. XXVI. nec non presuntio. Hoc tamen de presuntione hominis & juris solum intelligendum, non de illa, que juris & de jure dicitur, §. XXVII. probabilitas in jurisprudentia considerata etiam tres diuersos gradus habet, §. XXIX. probabilitas in actis non fundata in processu nihil operatur. Probabilitas judicialis & extrajudicialis, §. XXIX.*

§. I.



S. I.



E probabilitate & in philosophia rationali, & in moralis, & in jurisprudentia agitur. Ante omnia igitur ex philosophia rationali supponendum, quidnam dicatur probabile, quidnam verum, siue evidens. *Evidentia*, siue *veritas*, vel oritur ex ostensione, vel ex demonstracione. *Ostensio* dicitur, quando quis de veritate alicujus adassertionis per evidentiam sensuum conuincitur. Hujus intuitu in ostendente peculiaris ars & habilitas non requiritur, nec perceptio ostensae veritatis, quantum ad percipientem adtinet, singulare studium exigit, quoniam ipsi etiam infantes perceptionis hujus veritatis capaces sunt, v. g. quod ignis & urtica urat, &c. illustr. Thornafius in *introduc. log. c. 7. §. 23. seqq.* *Demonstratio* autem est probatio adassertionis cuiusdam per necessariam ejus cum primo veritatis criterio, aut cum primo cognoscendi principio connexionem, id. d. c. 7. §. 31. & in *introduc. ad philosoph. aul. c. 8. §. 5.* ita primum principium cognoscendi hominem ex ratione, qua praeditus est, desumitur, & ergo infertur, reliqua animalia, quae ratione destituuntur generi humano adcensi non pos-

A 3

se.

se. Evidentia ergo, sive veritas est, quando certo & plene conuicti sumus, rem ita, prout ostenditur, vel demonstratur, sese habere & eam se aliter habere non posse, eine offensbare/unstreitige Wahrheit/eine Versicherung/ eine Vergewisserung. Hæc cognita veritas in percipiente scientiam operatur, Joh. Clericus *in log. p. 2. c. 8. §. 2. & 3.*

## §. II.

*Probabile* in se non datur, sed tantum respectu nostri intellectus, Pufendorff. *de J. N. & G. l. 1. c. 3. §. 5.* Est vero *probabilitas* ostensio adsertionis cuiusdam per connexionem non necessariam, illustr. Thomasius *introd. ad philos. aul. c. 8. §. 5.* vel, uti Clericus *log. p. 2. c. 8. §. 3.* dicit, est adsensus animi præbitus propositionibus non euidenter primo intuitu veris, neque ex veris necessaria consequentia deducetis, sed quæ speciem veri præ se ferre viidentur. Vocatur etiam *opinio*, nec non *verosimilitudo*, eine Wahrrscheinlichkeit. Supponitur deinde, hanc opinionem veritati consentaneam esse, quamuis ille, qui opinionem fouet, argumenta indubitate & euidentia proferre & ad euidentiam peruenire nequeat, ob imbecillitatem, qua ratio nostra laborat. Ergo, si nulla plane argumenta rationi consentanea adsunt, sed ille, qui opinionem fouet, v. g. ad solam autoritatem doctoris, vel præceptoris sui, prouocat: reuera error adest & falsa opinio, quæ plurimos homines occupauit, unde dicitur, quod mundus regatur opinionibus, id est, quod plurimi homines mediis indagandi veritatem non utantur, sed cœco impetu in hanc, vel illam sententiam ferantur. Causas hujus rei præcipuas ponit Joh. Lockius *de intellect. hum. l. 4. c. 20. §. 1.* quatuor sequentes: (1) argumentorum

rum

rum defectum, (2) quia argumentis, quæ etiam ad-  
sunt, uti nescimus, (3) quia ad id voluntas deest, &  
(4) quia mensuris probabilitatis haud rectis utimur.

## §. III.

Sed quid *de fide* sentiendum, an illa peculiarem spe-  
ciem euidentiæ & probabilitati contradistinctam consti-  
tuit? solent nonnulli, inquit Clericus *d.p.2.c.8. §.4.* his-  
ce (nempe scientiæ & opinioni) addere fidem, quæ est  
adsensus præbitus rem dicenti, quam ipsi non vidimus,  
neque ratiocinatione inuenimus. Verum, recte addit,  
aut illa fides nititur collectiōne necessaria ex euidenti  
ratiocinatione deduēta, aut tantum opinione verisimili,  
ideoque ad superiorum (scientiæ & opinionis) alter-  
utram referri potest. Loquimur hic de fide in sensu  
philosophico, de fide enim saluifica, quæ ad Theologos  
eorumque cathedram spectat, hic dicendi locus non est.

## §. IV.

Aristoteles *1. topic. 1.* probabilia ea esse dicit, quæ  
videtur omnibus, vel plerisque; vel sapientibus, at-  
que his vel omnibus, vel plerisque, vel maxime notis &  
claris. Absurditatem vero hujus descriptionis cum jam  
ante nos alii ostenderint, nos quoque in præsenti eorum  
verbis mentem nostram exponemus. Regula hæc, in-  
quit illustr. Thomasius *in differt. de fide juridica c.1. §.50.*  
præjudicium autoritatis, omnem veritatis cognitionem  
impediens, stabilit, & nihil aliud, quam fidem cœcam  
& irrationalem inducit, non philosophicam, aut histo-  
riam. Testibus non utimur ad probanda axiomata &  
canones intellectus, sed ad probanda facta. Et imo in  
ipsis factis testis ineptus est, qui dicit, hoc fibi videri,  
hoc a se verum credi, scientia in teste requiritur, non  
fides.

fides. Ea credimus facta esse, quæ testis ipse vidit, audiuit, egit, &c. Facit & hæc regula, ut ex duabus propositionibus contradictoriis utramque quis possit credere, quo quid ineptius? Unam enim crebet, quia sic videretur pluribus, alteram, quia ea adridet paucioribus. Regulariter enim, pergit, plures non sunt sapientes, cum sapientes sint paucissimi. Ergo nec ullum usum habet iste canon. Quod si dixissent, verosimile id esse, quod sic videretur pluribus, aut potentioribus, sensum faltem habuisset axioma & monstrasset, mundum regi opinionibus multitudinis & potentum, id est erroribus, conf. id. in *introd. log. c. 10. §. 28. seqq.*

## §. V.

Probabilitas, seu verosimilitudo, tres diuersos gradus habet. *Summa* dicitur, quando propositiones, aut assertiones, v.g. historicæ, rarissime fallunt, & vix unam, aut alteram exceptionem admittunt. *Média*, quando assertiones raro fallunt, exceptiones tamen naturaliter contingentes neque potentiae majori adscribendas interdum admittunt. *Infima* denique, quando propositiones, siue assertiones illæ sæpe fallunt & exceptionibus admodum multis locus est, quæ omnia diuersis exemplis dilucide explicantur & illustrantur in *cit. disp. de fid. jurid. c. 1. §. 53. seqq. conf. etiam Clericus logic. p. 2. c. 8. §. 7. seqq.* Hæc obseruationes de probabilitate maximum usum habent in interpretatione legum, testamentorum & contractuum, quid scilicet legislator, testator & contrahens in dubio probabiliter voluerit. Interpretationis fundamenta enim ex vera logica sunt haurienda.

## §. VII.

Videamus nunc de probabilitate, quatenus illa in phi-

philosophia morali consideratur & quatenus non nudas propositiones theoreticas, sed ipsas actiones humanas respicit. Occurrit hic terminus probabilitatis in doctrina de conscientia, quippe quam in rectam, probabilem & dubiam communiter dispescere consueuerunt. Recta scilicet conscientia est, quando quis liquido intelligit, persuasionem, quam super agendis, vel omittendis fuet, certis & indubius principiis niti, seu cum legibus congruere, quae norma sunt actionum & conscientiae. Probabilis autem dicitur, quando quis persuasionem suam pro vera quidem & certa habet, nec quare eam in dubiam reuocet, idoneas rationes videt, eandem tamen ad formam demonstrationis deducere non nouit, sed topicis fere argumentis acquiescit, Pufendorff. *de J. N. & G. l. I. c. 3. §. 5.* quae descriptio cum iis conuenit, quae de probabilitate in genere diximus supra §. II. Dubia denique est, quando judicium intellectus anceps hæret, & per consequens discernere nequit, bonum aliquid, vel malum, agendum sit, an omittendum, id. *d. c. 3. §. 8.* & de hac plura non addemus, quoniam dubitans nullam plane persuasionem habet, & nec euidentibus, nec probabilibus fundamentis nititur, sed penitus fluctuat. Conscientia etiam erronea & scrupulosa sic dicta huc non pertinet.

## §. VII.

De conscientia recta res expedita est, quod nempe tranquillus sit iste, qui secundum eam actiones suas instituit, e contrario autem omnis actio pro peccato habetur, quae contra persuasionem certis & indubius principiis subnixam spontanee suscipitur. Quod vero conscientiam probabilem adtinet, pro ea informanda di-

B

uersæ

uersæ regulæ a nonnullis tradi solent, quas in compendio exhibit Pufendorff. de J. N. § G. d. l. i. c. 3. § 6. Recensēbimus nos quoque easdem paucis, & simul illas ad trutinam veri reuocabimus.

## §. IX.

Regula prima hæc est: *in conscientia probabili duabus sententiis propositis, quarum cum neutra legi aduersetur, una firmioribus rationibus nititur, altera tutior videtur, utramlibet suscipi potest.* Hanc regulam non intelligimus. Supponebatur, neutram ex duabus sententiis propositis legi aduersari. Ergo, si hoc, utraque etiam æque tuta erit, quoniam contra legem non impingo, siue hanc sententiam eligam, siue alteram, tutum enim in sensu morali illud dicitur, quod sine peccato suscipere possum. Deinde etiam sententia illa, quæ firmioribus rationibus nititur omnino simul tutior dicenda erit, quam altera infirmioribus argumentis superstructa, unde ignoramus, ex quanam ratione illud, quod tutius est, opponatur alteri, quod firmioribus rationibus nititur,

## §. IX.

Regula secunda: *duabus sententiis propositis, quarum altera infirmioribus rationibus nititur, altera tutior videtur, recte tutior illi prefertur.* Hæc regula omnino recte fæse habet atque confirmat ea, quæ in §. prec. circa regulam primam monuimus. Quoniam enim altera sententia infirmioribus rationibus nititur, necessario exinde consequitur, alteram firmioribus niti rationibus, & ex hoc ipso fundamento eandem protutiori haberi debere. Ergo adhuc in illa perficta sententia, quod tutius & fortiores rationes habens sint unum idemque & nullo modo opponenda, quod tamen in prima regula fiebat.

## §. X.

## §. X.

Regula tertia: *in conscientia probabili vir doctus eam sententiam sequi potest, quæ sibi probabilissima videtur, et si alii forte talis non videatur, nisi ex eo incommodum ali quod metuantur, quod a communione abeat.* Regula hæc etiam admittenda est. Probabilissima sententia vocatur, quæ fortioribus argumentis nititur, ergo hæc sine dubio alteri præferenda, pro qua infirmiora argumenta adducuntur. Talia argumenta vero sunt, quæ ab opinione aliorum desumuntur. Quilibet rationes ab utraque parte sece offerentes ipse examinare, non vero cœco impetu aliorum sententiam amplecti debet. Dissentit Ferdinandus a Castro Palao *in oper. moral. de virtut. & vit. contrar. part. 1. disp. 2. punct. 2. num. 2.* communis, inquit, est sententia, & mihi probabilior, (etsi supradicta sit satis probabilis,) eligi posse opinionem minus probabilem & tutam, relicta probabiliori propria & tutiori, sic tenet Valent. *l. 2. disp. 2. quest. 14. part. 4.* Vasquez *disp. 62. c. 4. seqq.* Salas ibi, innumeros referens, *tract. 8. disp. unic. sed. 6. num. 66. §. hæc opinio.* Petr. Nauarr. *l. 3. de refut. c. 1. dub. 13. num. 237. in nou. edit.* Nauarr. *c. 27. n. 280. & 288.* Sayrus *in clavi regia l. 5. c. 5. num. 4. & 8.* Thomas Sanchez pluribus (ut mos est) relatis *lib. 1. in decal. c. 9. n. 14.* Joan. Sanchez illos & alios plures adlegans *disput. 42. num. 12.* Hæ sunt autoritates DD. Ferdinandus a Castro Palao adductæ. Jam de rationibus ipsius quoque dispiciamus. Probo primo, pergit, *cum ex opinione probabilis aliorum operaris, prudenter operaris:* tum quia alii ex illa operanr prudenter, tum & præcipue, quia sæpe opinio, quæ alicui probabilior & tutior adparet, probabilior non est & tutior. Ergo poteris relicta tua op-

nione probabiliori aliorum probabilem amplecti. Secundo, addit, si teneris sequi opinionem, quae tibi probabilius adparet, neque potes ex probabili aliorum sententia operari, mille scrupulis agitari debes & singulis horis obligaberis opus variare, cum jam uni opinioni ut probabiliori adhæreas, jam contrariae, ut bene expendit Salas *supra num. 68. in confirmat. 2. argum. 6.*

## §. XI.

Misera sane sunt hæc argumenta Ferdinandi a Castro Palao, e Societate Jesu, ut vocant, qui tamquam natu nimis maximo, scilicet Ignatio de Loyola, fœtum suum inscripsit, ut verbis ejusdem utamur. Dicit: cum ex opinione probabili aliorum operaris, prudenter operaris; respondemus, hanc esse petitionem principii. Rectius Cicero *de clar. orat. cap. 71. mea quidem conscientia pluris est, quam omnium hominum sermo*, item *l. 13. ad Attic. epist. 20. in omni vita sua quenque a reda conscientia transuersum unguem non oportet discedere.* Atqui, addit, alii ex illa operantur prudenter; respondemus, adhuc sub judice litem esse, utrum alii ex illa opinione prudenter operentur. Sed concessio eriam, alios prudenter operari, quoniam illis rationes, quas adlegend, sat probabiles videntur; non tamen sequitur, hæc opinio alii est probabilis & rationes ipsis sufficientes, ergo etiam mihi illæ sufficere debent. Pergit: sæpe opinionem, quæ alicui probabilitor & tutior adparet, probabilitorem non esse & tutiorem; respondemus, sæpe hoc accidere posse, sæpe etiam non, quemlibet interim eas rationes sequi debere, quæ ipsi magis sese probant. Neque unico scrupulo ejusmodi homo agitatur, nendum mille scrupulis: eo ipso enim, dum opinio, quam sequitur, ipsi probabilius est, in statu tran-

tranquillitatis viuit, neque ullo tempore obligabitur opus variare, ut cum Ferdinando nostro loquamur, nec possibile est, ut jam uni opinioni ut probabiliori adhæreat, jam contrariae, semper enim probabiliorem reliquis præfert.

## §. XII.

In sequentibus num. 3. admodum ineptit Ferdinandus & reuera tamquam natu minimum sese exhibet. Quando autem, inquit, dicitur a DD. unam opinionem securiorem & tutiorem esse alia, non de securitate formalis, sed materiali loquuntur, hoc est, sequens opinionem probabiliorem & tuitiorem non solum non adtingit formaliter culpam, sed nec materialiter, ut contingit, cum est opinio probabilius obligans ad restitutionem, & est alia opinio probabilis deobligans; in restitutione enim facienda nulla esse potest nec formalis, nec materialis dissonantia menti diuine, que dictabat, in tali casu restitutionem esse faciendam. Nunquam tamen obligaris sequi, quod in re tuius est. Præterea cum operaris ex opinione probabili, operaris similiter ex probabili: nam probabilius opinio est, te posse ex opinione probabili reliqua probabiliori operari. Ergo, cum ex illa operaris, ex opinione probabiliori operaris: probabilis enim opinio concurrit, v. g. ad te excusandum a restitutione facienda, & probabilius opinio concurrit ad te excusandum, ne obligeas eligere opinionem probabiliorem, que tibi dicebat, restitutionem esse faciendam, sic Sanchezus prænum. 7. Rebare, te fari scio, sed fabare nescio.

## §. XIII.

Similes nugae sunt, quas docet d. part. i. quest. 2. punct. 3. scilicet, quod docto, vel confessarius consulere, vel docere possit opinionem minus probabilem, reliqua probabiliori propria. Porro punct. 4. quod confessarius possit, & debeat contra pro-

B 3.

priam

priam opinionem absoluere eum, qui opinionem probabilem sequitur, nec non punct. s. quod in administratione sacramentorum liceat uti opinione probabili, & in re minus tuta, relicta probabilius & tutiori, vel omnino certa. Transeant ergo haec cum ceteris. Reuertimur ad scopum nostrum & reliquas regulas de conscientia probabili.

## §. XIV.

Hoc tamen adhuc ante omnia notandum, quod quamvis regulam tertiam supra §. X. adlatam adprobaueimus: ea tamen valde dubia videantur, quæ subiectis Pufendorfius per modum exceptionis: nisi, inquit, ex eo incommodum aliquod metuatur, quod a communi opinione abeat. Nescio, quale incommodum ex hoc capite metuendum, & posito, quod etiam metui posset, vir sapiens tamen, qui licet non euidentibus, probabilissimis tamen rationibus nititur, ejusmodi incommodum metuere non debet, nec decet ipsum, ut propterea opinioni aduersa, quæ ipsi æque probabilis non videtur, accedat.

## §. XV.

Regula quarta est: *indoeetus tutissime sequitur autoritatem prudentiorum.* Hanc regulam admitto, si prudentior indoëtus ejusmodi argumenta suppeditat, quibus convinci queat, hoc enim factò, si meliora & fortiora argumenta indoëtus non suppeditunt, absque dubio ille autoritatem prudentioris sequi tenebitur. Quod si vero prudentior nullas rationes profert, sed indoëtus proper solam autoritatem illi fidem adhibere debet: præjudicium autoritatis, reipublicæ admodum nocium, eo ipso stabilitur, quod idem est, ac in rebus ad religionem spectantibus fides carbonaria.

## §. XVI.

## §. XVI.

Regula quinta : alterius imperio obnoxius recte potest jussu superiorum agere, quod illicitum certo non nouit, etiam si non ita probabile sibi videatur, Pufendorff. de J. N. & G. l. i. c. 3. §. 6. Hanc regulam probamus sub condicione adnexa, si subditus illud, quod superior ipsi injungit, illicitum certo non nouit. Quid ergo, si superior subdito injungat, ut falsum testimonium dicat, ut innocentem condemnnet, & quæ sunt hujus generis alia? sane hic obtinebit notum illud: Deo magis obediendum esse, quam hominibus. E contrario autem, si princeps subdito injungit, ut contra hostes arma capiat, subditus parere tenebitur, quoniam causæ belli a superiore suscepiti ipsi satis cognitæ non sunt, nec ipsi, ut de iis cognoscat, leges indulgent. Et hac parte recte sese habent & admitti possunt, quæ tradit Ferdinandus a Castro Pala cit. træf. part. i. disp. 2. punct. 6. quamvis singulas rationes ab ipso adductas nostras facere nolimus.

## §. XVII.

Addimus adhuc sextam & septimam regulam apud Pufendorffium loc. cit. Regula sexta: *in rebus parui momenti, si utrinque sint probabilia argumenta, utrumlibet potest eligi.* Regula septima: *in rebus magni momenti, si utrinque se ostendant argumenta probabilia, preferenda est pars tutor, seu ubi, si vel maxime a scopo sit aberratum, non adeo graue prouenire potest malum, quam si ex altera parte fuisse impatum.* Hasce duas regulas ego potius ad conscientiam dubiam, quam probabilem referre mallem. Si enim argumenta utrinque æque probabilia sunt, adeo, ut quis nesciat, quænam ex illis reliquis præferri debet at: *judicium plane non adest, sed potius suspensio iudicii.*

dicii. Ergo a suscipienda actione plane abstinendum erit.

§. XIIIX.

Diximus supra §. II. veram probabilitatem exinde prouenire, quando quis argumenta euidentia quidem adducere nequit, interim tamen argumenta, rationi consentanea ipsi suppetunt. Addidimus, quod in eo casu, quando quis ad solam doctoris alicujus autoritatem provocat, error & falsa opinio adfit, non vero probabilitas. Notari hic debet peruersa Jesuitarum doctrina de probabilitate, seu probabilismo, ut nonnulli loquuntur. Autores, qui hanc doctrinam fouverunt, & antiquiores quidem, Thomam, Bonaventuram, Vasquezium, Sanchezium, Carenam, Nauarrum, Cordubam, Azorium, Ramirezi-um, Castannegium, Escobarium, Ledesmam, Valeati-am, Castro Palao, (v. supra §. X.) Medinam, Sanctium, Arragonium, Lopezium, Martinezium, Zarasium, Vil-lalobosium & Dianam: ex recentioribus vero Honora-tum Fabri *in apologia doctrinae moralis Jesitarum*, Antonium Terillum *in regula morum contra Elicaldum & Ama-deum Guimenium in singularibus theologie moralis recen-set* Dn. Buddeus *in histor. jur. natur. §. 13.* plures vero exhibet Ludouicus Montaltius, siue, quod verum ejus no-men est, Blasius Pascal, theologus & mathematicus Pari-siensis, *in literis provincialibus epist. 5.* ibique Wilhelmus Wendrockius, sub quo nomine latet Petrus Nicole, theolo-gus Parisiensis, *in notis*, nec non Samuel Rachelius *in examine probabilitatis c. 10.* Addi adhuc potest Franciscus Bordonus *de opinione probabili contra probabilorem* Sane, nonnulli etiam hanc probabilitatem adprobaverunt, qui ex numero Jesitarum non fuerunt; interim tamen doctri-

doctrina illa Jesuitis propterea principaliter merito tribuitur, quoniam hi istam præ aliis excoluerunt atque magno studio diuulgarunt.

## §. XIX.

Summa doctrinæ Jesuitarum de probabilitate hæc est: *licere cuique eam opinionem tutam conscientia sequi, quam quatuor, vel tres, vel duo, vel unus etiam grauis doctor tradiderit; itemque consultum de aliqua re doctorem posse respondere juxta probabilem aliorum sententiam, quamvis ipse doctor ejusmodi sententiam speculatiue falsam esse certo sibi persuadeat, ex quo axioma profluxit, probabilem omnem opinionem etiam falsam & legi diuina contrariam a peccato coram Deo excusare.* Paria ex Ferdinando a Castro Palao jamdum §. X. XII. & XIII. adulimus. Jam cum notum sit, nullam sententiam tam absurdam esse, quæ non ab uno vel altero defendatur: facile colligi potest, quod admissio illo dogmate Jesitarum de probabilitate omnia crimina sine nota peccati committi queant. Maxime laudant Jesuitæ aliquæ eorum principia sequentes doctores illos, qui numerum opinionum probabilium augent, quoniam eo ipso ex eorum supposito peccata minuuntur. Abominanda sunt, quæ in laudem Dianaæ scribit Johannes Caramuel apud Rachelium *in exam. probabil.* c. 10. ego, inquit, *ingenium Diana viri quidem doctissimi vennerit, ejus industria multas opiniones euasisse probabiles, que antea non erant: inuidus sit, qui non adfirmet. Si jam sunt probabiles, que antea non erant, jam non peccant, qui eas sequuntur, licet ante peccauerint; ergo si ejusmodi peccata ab orbe literario Diana sustulit, merito dicitur agnus Dei, qui abstulit peccata mundi.* Habento Nauarrus & veteres

casuistæ gloriā suā : sunt Leones, & a rigore & severitate laudantur : esto agnus tu, laudandus a benignitate. Ita insanit Caramuel. Diutius hisce non immorabor, absurditates enim Jesuitarum jamdū satis detexerunt & refutarunt Montaltius, Wendrockius, & qui idem est, Paulus Irenaeus, Samuel Rachelius, aliisque. Evidem literæ prouinciales Ludouici Montaltii A. 1690. Parisis instinctu Jesuitarum damnatae fuerunt ; verum hoc veritati non officit, sed prudentiores statim judicant, ejusmodi libros damnatos veritate ut plurimum repletos esse, quam aduersarii nonnisi brachio seculari implorato remouere audent. Taceo, quod multi etiam cœtu pontificiorum addicti dogmata illa detestati sint, ut Vincentius Baronius in *theologia morali aduersus probabilitatem*, Gonetus in *dissertatione de probabilismo*, Esclapezius contra *probabilitatem*, aliisque, quos recenset Dr. Buddeus in *histor. jur. natur.* §. 14.

## §. XX.

Hoc saltem adhuc subjungimus, quod, ut Rachelius in *exam. probabil. Jesuitic. c. i.* probabiliter existimat, Jesuitæ dogma recensitum ex Rabbinorum scriptis hauserint. Ita enim referente eo Lipmannus : *integro triennio dissensere domus Schammai & domus Hillel* : illi dicebant, *juxta nostram sententiam statuendum* : *hi regerebant, imo vero juxta nostram ferendum est judicium*. *Egressum est atque auditum oraculum diuinum* : *utraque sunt verba Dei viuentis, statuendum vero juxta sententiam domus Hillel*. Porro idem Lipmannus : *etiam si dicant tibi Rabbini, dextram esse sinistram, ratum erit & verum, quod confirmant.*

mant. Et paulo ante : adparet legem a Deo S. B. juxta cum tredecim modis argumentandi hoc fine datam, ut quilibet sapiens exponeret eam pro captu ingenii sui : quin tantum, quo operaretur atque scrutaretur eam, quoad ejus fieri potest, citra pigritiem. Quod si visum fuerit Synedrio, juxta legem illosque modos colligendi rem quandam esse mundam, erit munda : & si alii surrexerint post eos, atque his ipsis videatur juxta eandem legem modosque argumentandi, illam ipsam rem esse immundam, habebitur immunda. Enidem carbonariam apud Rabbinos & merum autoritatis humanæ præjudicium, probabilitate improbabili subnixum. Idem deprehenditur omnino in dogmate probabilitatis Jesuitarum.

## §. XXI.

Vidimus hactenus, quomodo probabilitas in philosophia rationali & morali consideretur, v. §. I. & VI. subiectum ergo nunc quoque est, quænam in jure nostro probabilitas dicatur. Primo vocabulum illud accipitur de eo, quod bonus paterfamilias facere solet. Ita Ulpianus in l. 7. §. 13. ff. de SC. Macedon. quod dicitur in eo, qui studiorum causā absens mutuum acceperat, cessare SCium, ita locum habet, si probabilem modum in mutua non excessit: certe eam quantitatem, quam pater solebat subministrare. Papinianus in l. 31. §. 7. ff. de negot. gest. sed qui sumptus necessarios probabiles in communi lite fecit, negotiorum gestorum actionem habet. Hie significatus ad nos in præsenti proprie non spectat.

## §. XXII.

Porro probabilitas juris in legibus occurrit, & hinc

C 2

pro-

probabile dicitur, quod justum & legibus consentaneum est. Ita in l. 2. §. 7. ff. de vacat & excus. muner. dicitur, quod munera, quæ consilio prudentis viri obiri possunt, non remittantur, nisi certis & probabilibus, id est, lege adprobatis, causis. in l. 11. §. 2. in f. ff. de jurisdict. habetur, Cassii & Pegasi sententiam probabilem esse, id est, intentioni legis magis conuenientem, qualis locutio etiam in l. 1. §. 5. ff. de exercit. aet. occurrit, ibi: que sententia mihi videtur probabilis. Ex diuerso sententia minus probabilis adpellatur, quæ a bono & æquo recedit. Ulpianus in l. 27. §. 2. ff. de recept. qui arbitr. receperit autem debet sententiae arbitri, quam de re dixerit, siue equa, siue iniqua sit, & sibi imputet, qui compromisit. Nam & diuī Pū rescripto adjicatur: vel minus probabilem sententiam aquo animo ferre debet. Plura suppeditabit Brisonius de verb. signif. verb. probabilis.

### §. XXIII.

Datur etiam probabilitas intuitu facti, quando quæritur, utrum factum aliquod vere commissum sit, annon. Hic tamen probabile duobus modis accipitur. Aliquando scilicet probabile idem est, ac euidens. Exemplum occurrit in l. 28. inf. C. Theod. de judicis lib. 16. tit. 8. ubi ita: parentes tamen sub tali elogio, qui suppeditabunt probabilitia & manifesta documenta, solam eis falcidiam debite successionis relinquant. Verum hic quidem significatus in praesenti ad nos non pertinet.

### §. XXIV.

Probabile itaque in altero significatu nobis hic dicitur, quando de ipso facto judici euidenter non constat,

stat, argumenta tamen nonnulla adsunt, quæ ipsum mouent, ut credat factum ita, vel aliter sese habere. Interdum enim probabile est, factum ita comparatum esse, prout adserit ille, qui factum illud fundamenti loco supponit; interdum vero judici magis probabile videtur, factum suppositum vero fundamento destitutum esse. Verbo: probabile quandoque est, reum nocentem, quandoque autem innocentem eum esse.

## §. XXV.

Hæc probabilitas intuitu facti ad nos in præsenti præcipue pertinet, quippe quæ illis casibus maxime se exserit, quando de imponendo juramento suppletorio, purgatorio, vel de ipsa etiam tortura dictanda agitur, de quo in capite sequenti de effectu probabilitatis uberior differendi occasio occurret. Interim tamen & probabilitas juris simul consideranda est, de qua paulo ante in §. XXX. diximus. Ita quando queritur, utrum vietus vitori ad refundandas expensas teneatur? exceptio a regula adfirmativa suppeditari solet, quod expensas refundere non obstringatur vietus, si probabilem litigandi causam ille habuit, id est, si existimauit & existimare potuit, assertions suas, quas agendo, vel exceptiendo protulit, justas & legibus congruentes esse.

## §. XXVI.

Probabile alias in jure & apud DD. quoque vocatur *verofimile*, perinde, ut supra §. II. de probabilitate logica diximus. Nam & in jure illud verofimile dicuntur, quod legibus interpretandi conuenit. Ita in l. 9.

C 3

§. I.

§. 1. ff. und. cognat. quia verisimile non videbatur, tam conjunctum sanguinis defuncti valetudinem ignorasse. Halander legit: *Tam conjunctum consanguinei defuncti. in l. 96. pr. ff. de legat. 1. Julianus: respondi, verosimilius est, parentemfamilias demonstrare potius heredibus voluisse, &c.* In Nicolai Euerhardi locis argumentorum legalibus peculia-  
ris etiam locus a verosimili deprehenditur.

## §. XXVII.

Probabilitatis synonymum quoque est *præsumtio*. Præsumere interdum est opinari, & præsumtio pro opinione est, Briffonius de verb. signif. voc. *præsumere & præsumtio*. Ita in l. 67. §. ult. ff. de legat. 2. ne scilicet honor bene transacti matrimonii, fides etiam communium liberorum decipiat patrem, qui melius de matre præsumferat, id est, cui probabile visum erat, matrem liberis reddituram esse, quod pater ipsis reddi voluerat. Et hinc etiam citatus Euerhardus in loco de verosimili num. 18. seqq. simul de præsumptione ejusque speciebus agit. Nota ta-  
men, quod quando dicimus, præsumptionem esse proba-  
bilitatem, hoc solum ad præsumptionem hominis, quæ  
vocatur, id est, judicis, & ad præsumptionem juris per-  
tineat. Præsumtio enim, quam juris & de jure esse di-  
cunt, ad evidentiam ex dispositione legis magis perti-  
net, quam ad nudam probabilitatem, quoniam scili-  
cket illa probationem in contrarium non admittit. Non  
obstat, quod nonnulli probationem contraria locum  
habere adserant, si illa non directo, sed indirecte pe-  
testes fiat, vel etiam per confessionem aduersarii,  
Euerhard. loc. cit. num. 20. hæ enim exceptiones me-  
ram

ram contradictionem inuoluunt, quia idem est, ac si dicerem : præsumtio juris & de jure non admittit probationem in contrarium & tamen admittit. Certe, quod directe non licet, nec per indirectum licere debet, quoniam alias tota regula destrueretur.

## §. XXIX.

Probabilitas, quando in jurisprudentia consideratur, non raro eosdem tres diuersos gradus habet, de quibus supra §. V. diximus, ubi probabilitatem logicę considerabamus. *Summa* adpellari potest, v. g. in materia probationis, quando probatio semiplena major adest, ut duo testes, unus omni exceptione major, alter vero quodammodo suspectus. Rarissime enim ejusmodi testimonium fallit. *Média*, quando quis unius testis omni tamen exceptione majoris testimonio munitus est, aut, si mercator, vir integræ vitæ & fidei, librum suum utramque paginam continentem, omnique vitio carentem producit. *Infima* vero, quando unius testis omni exceptione non majoris depositio adest, quo etiam in criminalibus indicia remotiora pertinent, quorum unum solum ad torturam non sufficit, v. const. crim. Carol. art. 25. 26. 27. Huc etiam referre posses indicium ex physiognomia, parentum vitæ generi, & similia. An vero in casibus singularibus obuenientibus probabilitas summa, media, an infima adgit, hoc judicis arbitrio ex circumstantiis in actis obuenientibus determinandum est.

## §. XXIX.

## §. XXIX.

Scilicet judex secundum acta & probata judicare tenetur, & ergo probabilitas quæ in actis fundata non est, nullum quoque effectum juridicum producit. Loquor de probabilitate facti, v. supra §. XXIII. Sæpius accidit, ut quando contra quempiam inquisitio instituitur, multis hominibus, qui acta judicialia non inspexerunt, admodum probable videatur, inquisitum illud delictum, quod ipsi imputatur, perpetrasse, unde etiam dicere solent: es seyc sehr probable, sie wolten das juramentum credulitatis darauf abstattan / & quæ similes sunt loquendi formulæ; verumenimuero, quamuis omnibus, vel pluribus ita videatur, si tamen in actis sufficientia indicia non reperiuntur, opinio hominum non adtenditur, sed sententia absolutoria sequitur. Ex diuerso, licet omnibus admodum probabile videatur, inquisitum plane innocentem esse, imo licet aliquis se offerat, ex wolle darauff schweren/ das der Mann unschuldig sey; opinio tamen & præsumtio hæc omni plane effectu destituitur, si ex depositionibus testium in actis urgentia indicia deprehenduntur, ut probabile sit, inquisitum delictum ipsi imputatum perpetrasse. Posset itaque hoc intuitu probabilitatem in *judiciale* & *extrajudiciale* dispescere, quarum illa effectum post se trahit, hæc vero nullum. Sed diutius hisce immorari nolumus, verum ad ipsum probabilitatis effectum nunc progredimur.

## CAP. II.

CAP. II.  
De Probabilitatis effectu.

CONTENTA HUJUS CAPITIS.

**E**ffectus probabilitatis in materia de processu maxime conspicitur, §. I. probabilitas, quod quis mandato instrudus sit, licet expressum mandatum producere nequeat, oritur ex consanguinitate intuitu certarum personarum, nec non ex aliis circumstantiis, §. II. non omnes adfines ad ejusmodi presumptum mandatum provocare possunt, §. III. pricipue post adfinitatis dissolutionem, §. IV. probabilitas tamen & in hac materia probationi in contrarium cedit, §. V. probabilitas ex semiplena, aut semiplena majori probatione proueniens hoc operatur, quod quis adjuramentum suppletorium admittatur & sic testis in propria causa esse queat, §. VI. exceptionem vulgo addunt, si causa sunt magne & arduae & probatio semiplena solum adest, que tamen exceptio rejicitur, §. VII. in criminalibus probabilitas effectum habere non videtur, quia eorum intuitu probationes luce meridiana clariores requiruntur, §. IIX. sed respondetur ad hoc dubium diuersos casus ab inuicem separando. Indicia nibil aliud sunt, quam argumenta probabilitas, §. IX. differentia a Menochio statuta inter presumptionem, indicium, conjecturam, signum, suspitionem, & adminiculum. Quid juxta ipsum sit presumptio, indicium & conjectura? §. X. quid signum? §. XI. quid suspicio? tres ejusdem gradus, §. XII. adminiculum vel vehemens, vel non vehemens, §. XIII. rejicitur illa pretensa differentia Menochii. Conuenientia presumptionis, signi & conjecture, §. VI. signum quoque, suspicio & adminiculum nihil aliud sunt, quam probabilitas, §. XV. argumenta probabilitas in criminalibus non semper eundem, sed mox hunc, mox diuersum effectum producunt, unde res prudentis judicis arbitrio est relinquenda, §. XVI. effectus probabilitatis est, ut contra inquisitum mox inquisitio, mox territio, mox ipsa etiam tortu-

ra a judice decernatur, §. XVI. si nulla probabilitas adest, inquisitus absoluui debet. Nulla vero adest probabilitas, si fœmina magie inculpata dicit, se alium in monte Brûltero vidisse, vel ejus rebaptizatione a diabolo suscepit interfuisse, §. XII. vel si inquisita torta lacrymas fundere non possit, aut si in somnum declinat, aut si nimis religiosa, aut erecta & aperta fronte neminem adjicit, aut nimis olet, aut canes insolite gesticulantes, vel insolite magnitudinis unice magnificat & astimat, §. XIX. nulla probabilitas delicti commissi oritur, licet persona suspecta supernatur. Formula adjudicationis aquæ & hominis, §. XX. in delictis, que pœnam capit, aut corporis afflictionem non merentur: efficiens probabilitatis in eo consistit, ut inquisito vel juramentum purgatorium, vel territio verbalis dictetur, §. XXI. de innocentia evidenter nondum constat, quamvis quis juramentum purgatorium prestiterit, vel torturam sustinuerit, sed probabilitas solum adest, unde saltem ab infirmitate absoluui reus. Casus quando de innocentia evidenter constat & absolutione ab ipsa inquisitione subsequitur, §. XXII. confessio rei in causis criminalibus evidenter operatur, non vera in criminalibus, nisi de corpore delicti iudicii constet, & hoc non solum ad judiciale spontaneam, sed quoque ad extrajudiciale & eam, que sub tormentis facta, pertinent, §. XXIII. quando plures testes discrepant in testimonio probabilitas interdum a qualitate, interdum a modo depositionis, interdum a numero testimoniis, interdum quoque a negotiis qualitate prouenit, §. XXIV. probabilitas non oritur, quando testis rationem depositionis reddere neguit, vel quando dicit, se certo non recordari, vel si alterna tui respondet, §. XXV. iudex non debet judicare contra id, quod verosimile, §. XXVI. quando iudex alteram opinionem judicat esse probabilem, an liceat sequi minus probabilem? negatur, nisi opinio minus probabilis in praxi certo sit recepta, quod exemplo illustratur, §. XXVII. quid, si ex diversis opinionibus altera iure canonico sit adprobata? §. XXIX. si utraque opinio æque probabilis est, an detur causa pro amico? adfirmat Dn. ab Andlern cum aliis, quorum ratiocinia recensentur, §. XXIX. quatenus remonteruntur, §. XXX. quomodo iudex in ejusmodi causa obveniente sibi consulere debeat? §. XXXI. an aduocatus sententiam minus probabilem sequi possit? adfirmat Dn. ab Andlern, nos regulariter negandum esse censemus, §. XXX. probabilis litigandi causa a refusione expensarum liberat, licet quis in iudicio victus fuerit. Recensentur causæ, quando probabilis litigandi causa adesse dicuntur, §. XXXIII. alia probabilitatis exempla per indicem recensentur, §. XXX. Conclusio dissertationis, §. XXXI.

§. I.

## §. I.

Cum actiones juxta pr. I. de action. nihil aliud sint, quam jus persequendi in judicio, quod sibi debetur, in actionibus vero non solum quæratur, an factum aliquod vere sit commissum, sed simul etiam, si commissum, utrum legibus sit conforme, & porro euidentes probationes in omnibus casibus non sufficiant; hinc in materia de processu effectus probabilitatis præcipue conspicitur. Deficientibus enim argumentis liquidis ad probabilia est recurrendum.

## §. II.

Perustrabimus nonnullos casus. Primum ex materia de *mandato procuratorum* adferemus. Qui procuratorem alterius se esse & mandatum habere adserit: is adassertionem suam probare tenetur, quoniam mandatum facti est. Interim tamen nonnullæ personæ deprehenduntur, quæ præsumtum mandatum habent, & sic ab iis expressum mandatum non exigitur, siue, admodum probabile est, principalem negotium expedendum illis commisso, qui pro procuratoribus sese gerunt. Tales enumerat Ulpianus in l. 35. pr. ff. de procur. sed & haec, inquit, personæ procuratorum debebunt defendere, quibus sine mandatu agere licet: utputa liberi, licet sint in potestate; item parentes, & fratres; & adfines, & liberti. Mandatum illis solet dari, quorum industriam probamus, & ex eo quidem capite, quia probabile esse existimamus, fore, ut hi utilitatem nostram sint promoturi. Quis vero dubitaret de parentum, liberorum, fratrum & adfinium amore nec non studio promouendi correlatorum suorum utilitatem? & ex eodem fundamento et-

D 2

iam

iam confortes litis post liteim contestataim, l. 2. C. de  
confort. ejusd. lit. pariter & illi admittuntur, qui instru-  
menta ad causam pertinentia penes se habent, si sunt  
integræ vitæ, ut probabile non sit, illos ejusmodi instru-  
menta insciis & inuitis dominis possidere, aut subripu-  
isse, ordin. camer. part. I. tit. 21. §. Weiter sezen. 2.

## §. III.

Quod adfines adtinet, hoc in specie adhuc notan-  
dum, quod DD. saxonici eorum nomine ficerum &  
generum solummodo intelligent, non vero vitricum &  
priuignum, Carpzou. de proc. tit. 5. art. 6. num. 46. B. Stryk.  
us. mod. ff. de procurat. §. 46. Quamuis vero alii dissenti-  
ant, existimantes, quod ipso etiam jure saxonico vitricus  
& priuignum in hac materia adfinium nomine veniant,  
subiecta ratione, quod etiam inter priuignum & vitricum  
quidam parentelæ respectus intercedat; mihi tamen  
contraria sententia & de jure ciuili & de saxonico magis  
seſe probat. Inter ficerum scilicet atque generum re-  
gulariter magna intercedit conjunctio, & hinc probabile  
est, quod alter alteri expeditionem negotii demandauer-  
it; ast vero inter vitricum & priuignum ejusmodi ani-  
morum conjunctio rarissime intercedit & per conse-  
quens eadem præsumtio atque probabilitas neutiquam  
adest. Occurrit, fateor, quidam parentelæ respectus;  
verumenimvero ille respectus, quisquis sit, in nostro  
casu non præbet fundamentum decisionis. Priuignum  
utplurimum persuasus est, vitricum ipsius bonis insidiari,  
& vitrici etiam non raro bonis illis inhiant; quodnam  
ergo fundamentum probabilitatis adesset, quod vitricus  
priuigno & ex diuerso priuignum vitrico negotiorum ex-  
peditionem demandare voluerit, alter enim alterum  
utplurimum odit.

## §. IV.

## §. IV.

Ex dictis facile etiam deciditur alia quæstio : *utrum dissoluta ad finitatem intuitu saceri & generi facultas sine mandato expresso experiri adhuc duret?* affirmat Carpzou de processu d. tit. 5. art. 6. n. 49. negat vero Berlich. p. 1. concl. 14. n. 49. & post eum Stryk. us. mod. ff. de procur. §. 47. Huic negatiue nos etiam subscribimus. Experientia enim quotidiana testatur, quod dissoluta ad finitatem pristina illa conjunctio inter sacerorum & generum, si non penitus cessa-  
set, admodum tamen remissior sit, atque hinc non solum probabilitas ante adducta cesseret, sed simul etiam ejusdem effectus. Nostrates non incongrue dicere solent: *Wann das Kind tot ist/ so ist auch die Gewalterschafft aus.*

## §. V.

Probabilitas cedit probationi in contrarium adlatæ, vel, prout alias dicere solent, præsumptio cedit veritati. Hinc profluit, quod quoties unus ex mandato præsumto aliquid expedire vult, aliis vero expresso mandato instrutus circa idem negotium expediendum concurrit: hic priori merito præferri debeat, omnis enim probabilitas nunc cessat, quoniam evidentia in contrarium adest. Ulpianus in l. 40. §. ult. ff. de procur. in his autem, inquit, personis, in quibus mandatum non exigimus, dicendum est, si forte evidens sit, contra voluntatem eos experiri eorum, pro quibus interueniunt, debere eos repellere: ergo non exigimus, ut habeant voluntatem, vel mandatum, sed ne contraria voluntas probetur, quamvis de rato offerant cautionem. Reliqua ad materiam hanc pertinentia non repetemus, quia vulgo a DD. sub titulo ff. de procuratoribus tradi solent.

## D 3.

## §. VI.

## §. VI.

In materia *probationis* quoque maximus probabilitatis effectus deprehenditur. Scilicet, qui semiplenam, aut semiplena majorem probationem adulit, ei, ut notum est, juramentum suppletorium deferri solet. Nonne vero hoc iniquum est, ut hac ratione quis testis in propria causa constituantur? non sane, sed quoniam v. g. actor ejusmodi probatione jam instructus est, urgens exinde probabilitas nascitur, causam ipsius optimo fundamento superstructam, & proinde auctorem in supplementum jurantem perjurium commissurum non esse. Et hæc ipsa probabilitas judicem mouet, ut juramentum suppletorium actori deferat, siue hoc petat actor, siue non, nam ex officio etiam dictari potest. Idem obtinet in reo, qui intuitu exceptionis ejusmodi probationes plene nondum sufficientes adulit.

## §. VII.

Hæc tenus nullum dubium subest, unde allegatione legum & DD. non indigemus. Videamus vero de exceptione assertionis traditæ, quam vulgo subiectere consueverunt, si semiplena probatio solum adest. Regulariter, dicunt, in magnis & arduis causis juramentum necessarium non defertur propter suspicionem perjurii ratione magni commodi, nisi plus quam semiplene probatum sit. Ita post Alexandrum, Curtium juniores aliosque Andreas Gailius in observationibus suis l. 1. obs. 108. num. 11. quid ergo? juramentum purgatorium parti aduersæ deferendum esse existimant, Dn. Schöppfer synops. jur. ff. de jurejur. num. 46. Verum, quod pace dissentientium dictum sit, hæc assertio nobis admodum dubia videtur. Probabile esse volunt, eum, qui ex præstatione jura-

juramenti suppletorii magnum commodum consecutus est, perjurium commissurum esse, idque ob habendi libidinem, quæ ad acerrimos & maxime stimulantes adfectus pertinet. Si ergo hic jurat, maximam pecunia summam consequitur. Sed quid jam de altero dicendum erit, cui juramentum purgatorium impone-re volunt? sane, si hic juramentum purgatorium præstítit, maximam illam pecunia summam, de qua diximus, retinet, quam alteri persoluere debuisset, & sic maximum commodum ipsi obuenit. Annon ergo & hoc casu probabile est, eum perjurium commissurum esse? puto eandem subesse rationem, reus enim iisdem, quibus actor, adfectibus agitat & habendi libido intuitu illius quoque acerrimus adfectus est. Ratio ergo nullius momenti est, quæ contra eum adferebatur, qui juramentum suppletorium præstare debuisset. Ergo ad qualitatem personæ potius respiciendum erit, quisnam scilicet ex partibus litigantibus magis probatae vi-tæ & fidei sit, & huic juramentum vel suppletorium, vel purgatorium deferendum, quo ipse inclinare vide-tur Gaiilius *loc. cit. n. 10.* quando dicit, in causæ cognitio-ne quoad delationem juramenti suppletorii quatuor esse consideranda, conditionem personæ, naturam causæ, quantitatem rerum & qualitatem factorum. Quod si ratione qualitatis personarum ex utraque parte omnia paria sunt, pro reo iterum pronunciare solent; sed vero non video, quare actor ad suppletorium non sit admittendus, si vir integræ existimationis est, leges enim ad juramentum suppletorium illum admittunt, quoties semiplena probatione est instructus, talis autem hic supponitur. Nec obstat, quod in dubio partes rei sint

fa.

fauorabiliores, quam partes actoris; respondetur enim, hanc regulam ad eum solummodo casum pertinere, quando utraque pars probationes adulit eaque probations sunt æquales; hic vero ejusmodi æqualitas non adeat, quoniam non reus, sed actor probavit & hic quidem semiplenam probationem adulit.

## §. IX.

Quæritur hic: *utrum in criminalibus quoque probabilitati effectus aliquis sit tribuendus?* negandum videtur, quia in ejusmodi causis probationes luce meridiana clariores, ut DD. loqui amant, requiruntur, *l.f.C. de probat. Gail. 2. obs. 94. n. 1. 2.* probabilitates autem & præsumtiones ita claræ dici nequeunt, sed sunt probatio per argumenta probabilia facta dicente Lauterbachio *compend. jur. tit. ff. de probat.* & *presumt.* Sed salua nihilominus res est, modo diuersos casus probe separamus.

## §. IX.

Scilicet in criminalibus vel est quæstio de inquisitione instituenda, vel juramento purgatorio, aut ipsa tortura inquisito dictitanda, vel denique de sententia definitiva eaque pœnam capitis inferente. concipienda. In ultimo casu omnino probationes luce meridiana clariores requiruntur, in prioribus casibus vero probabilia etiam argumenta locum inueniunt. Indicia contra inquisitum in actis occurrentia sunt hæc argumenta probabilia, quæ in constitutione criminali vocantur *redliche Anzeigung/ Wahrzeichen/ Argwohn und Verdacht/ item redlich gnügsam anzeigen/ d. const. crim. art. 18. & 19. Argwohnigkeit der Missethat/ art. 24. argwöhne Theil/ oder Stück von Anzeigung peinlicher Frag/ art. 27. & 28. Indicia itaque nihil aliud sunt, quam argumen-*

ta

ta probabilia, quibus iudex mouetur, ut credat, deli-  
ctum alicui imputatum ab eo reuera commissum esse,  
seu, ut definit Baldus in l. non hoc. col. ult. C. und. legit.  
citante eum Menochio *de presunt. l. 1. quest. 7. num. 5.*  
*& 6.* indicium est conjectura ex probabilibus & non  
necessariis orta, a quibus potest abesse veritas, sed non  
verisimilitudo veri, quæ quandoque mentem judican-  
tis ita perstringunt, ut cogant conscientiam judicis ju-  
dicare secundum ipsa.

## §. X.

Consideremus hic incidenter ea, quæ Menochius  
*loc. cit.* de differentia inter *presumptionem*, *indicium*, *con-*  
*jecturam*, *signum*, *suspicionem* & *adminiculum* adfert.  
Multum hæc inter se differre scribit, & omnes ita scri-  
bere subjungit. *Presumtio*, pergit, interdum oritur a  
probabilibus, qualis est *presumtio juris*, vel hominis,  
interdum vero a necessariis, qualis est *presumtio ju-*  
*ris & de jure*. *Indicium* solum nascitur a probabilibus.  
*Conjecturam num. 21.* nasci dicit a probabilibus, sicut  
& indicium. Adscribamus propria Menochii verba se-  
quentia: *quocirca*, inquit, idem Baldus in l. 1. column. 3.  
*vers. unde queritur. C. de privileg. dot. scribit, conjecturam*  
*idem esse, quod indicium, & rusticos Papenses adpellare in-*  
*dicia conjecturas. Et subjungit Baldus, conjecturas dici,*  
*quia conjunguntur origini sue, & esse quasi connexuras &*  
*colligaturas. Et clariss docuit Curt. sen. in l. admonendi.*  
*num. 290. ff. de jurejur. conjecturam & indicium esse duo*  
*synonyma, quod sentit & Baldus in l. 2. pr. ff. de excus. tut.*  
*cum dixit, quod conjectura eque indirecte tangit factum*

E.

pro-

probandum, ac indicium. Legi tamen, addit, apud bene  
eruditum Liliū Gregorium Giraldum in commentariis sym-  
bolorum Pythagore, conjecturam esse signum, quod natu-  
ra ipsa demonstrat, ut lac in puerpera, fumus ex igne. Quod si  
ita res se habet, dicendum est, conjecturam esse præsumtio-  
nen a naturæ necessariis prouenientem, quam suo loco jam  
explicuimus. Ego, subiectit, existimo, conjecturam pro-  
prie dici, qua non a necessariis, sed a probabilibus oritur.  
Nam si a necessariis oritur, non dubia, sed certa res est,  
cum tamen conjectura sit de re dubia. Est enim conjectura  
rei (ut Speusippus ait,) latentis indicium. Et est id, quod  
per rationes, & signa, & tempora, & hujusmodi conficit,  
id est, cogitat & colligit.

## §. XI.

*Signum* post M. Tullium *l. l. de invent.* ita definit  
Menochius *num. 32.* quod sub sensum aliquem cadit &  
quiddam significat, quod ex ipso profectum videtur,  
quod aut ante fuerit, aut in ipso negotio, aut post  
sit consecutum, & tamen indigit testimonii & majo-  
ris confirmationis, (sunt verba Menochii,) ut crux,  
fuga, pallor, puluis, & quæ his sunt similia. Hinc  
itaque pergit, fit, ut si videmus gladium cruentum,  
statim argumentabimur, cædem esse factam. Si ma-  
gnum strepitum audimus in foro, seditionem ortam  
esse suspicamur. Si vocem audimus amici, cognoscim-  
us, eum adesse; sic ex gustu cognoscitur mel, quia  
dulce est, ex tactu glacies, quæ frigida est, atque ita  
de ceteris. Hæc igitur omnia, concludit, quæ a sen-  
sibus inducuntur argumenta, vocantur signa.

## §. XII.

## §. XII.

*Suspicionem* describit num. 41. quod sit passio ani-  
mi, aliquid firmiter non eligentis, vel juxta Bartolum  
in l. admonend. num. 21. ff. de jurejur. (quam descriptio-  
nem reliquis omnibus præfert,) suspicionem esse, quæ  
animum judicis aliquo leui argumento in aliquam par-  
tem inclinat, et si non omnem excludit dubitationem,  
vel adhuc juxta alios, esse speciem quandam probatio-  
nis inducentem animum judicis ad aliquid credendum,  
non tamen habere eum probationis gradum, quo fixe  
adplicat judex ille animum ad unam partem, sed eum  
ambiguum reddere. Hujus suspicionis tres gradus con-  
stituit num. 47. seqq. *Primus* est, quando indicia levia  
admodum sunt, quo casu suspicio temeraria vocatur.  
*Secundus* est, cum judici fortiora argumenta adparent,  
& incipit opinari & uni parti adhærere, aliquod tamen  
dubium modicum adhuc remanet. Hæc vocatur veri-  
similis & vehemens, cuius exemplum ex Simanca *in*  
*praxi contra hæreses* tit. 41. num. 3. adducit, si quis ex-  
plicite negat alias propositiones fidei, quas tenetur  
*ex officio scire*, is vehementer quidem suspectus est,  
fieri tamen potest, ut talis negatio ex ignorantia, vel  
animi leuitate sit orta. *Tertius* gradus est, quando ju-  
dici post a se conceptam opinionem alia urgentiora ita  
superueniunt argumenta, ut constanter & sine dubio  
uni parti adhæreant. Hæc vocatur violenta, cuius exem-  
plum ex Simanca *loc. cit. num. 4.* adducit, si quis propo-  
sitiones hæreticas publice adferat, vel ceremonias im-  
piorum faciat. Nam et si possibile sit, quod errore  
ductus & sine intellectu, aut sine pertinacia faciat;

E 2

ta-

tamen ecclesia, quæ judicat exteriora, violenta suspicione quadam suspicatur hunc esse hæreticum.

## §. XIII.

Quod denique *adminiculum* adtinet, illud in genere non describit Menochius, sed *num. 75.* Baldum secutus illud statim in *vehemens* & non *vehemens* distinguit. *Vehemens* juxta illum est suppletio defectus probationis per se solum non operans, sed cum alia cooperatione cooperans. *Non vehemens* autem aliqualis confirmatio rei probabilis, ubi citat *l. 2. §. 1. ff. de excus. tut.* in qua tamen nihil aliud habetur, quam *quod actas probetur aut ex nativitatis scriptura, aut aliis demonstrationibus legitimis.*

## §. XIV.

Hæ sunt differentiae illæ a Menochio adductæ, exiguae sane & quæ nomen differentiarum vix merentur. *Præsumptionem*, quæ juris & de jure esse dicitur, ex numero præsumptionum proprie sic dictarum jamdum *c. I. §. XXVII.* eliminauimus: ergo ex nostra hypothesi cessat leue illud discrimen, cuius mentionem injiciebat Menochius (*supra §. X.*) quod *indicium* a probabilibus solum nascatur, præsumtio autem interdum a probabilibus, interdum vero a necessariis. Quod enim a necessariis argumentis nascitur, stilo Menochii, id non est probabile, sed euidens, & quis hoc ad artificialem probationem referret, quando Lauterbach *comp. jur. tit. ff. de probat. ab init.* in hac propositione: *si 20. Januar. Tübinge fui, non fui eodem Lipsie*, artificium latere existimat. Ego potius hoc ad probationem inartificialem referendum esse censeo, illa enim propositio tam euidens

dens est, ut nec indoctus de ea dubitare queat. Narrant quidem de diuo Ambroſio, eum mane missam Romæ celebrasse, statim vero eum Mediolani viſum fuſe, & de beato Iſidorō ſimile ſcribunt, Boer. *qu. 175. n. 7.* Menoch. *de A. I. Q. l. 2. caſ. 270. n. 11.* ſed hæc, ſi vera ſunt, ab ipeſis autoribus citatis ad miracula referuntur. *Conjecturam* ipſe Menochius a probabilitibus naſci dicit, & hinc eadem cum præſumptione coincidit.

## §. XV.

Eadem probabilitas in *ſigno* ſubeft, de quo ante in §. XI. Dicebat Menochius, hoc quidem ſub ſenſum cadere & quiddam ſignificare, quod ex eo profeſtum vi-detur, ſed tamen, addebat, *hoc indigere testimonii, atque,* ut loquitur, *majoris confirmationis.* Hæc ipta eft probabilitas in ſenſu juridico. De *ſuſpicione* idem judicium efto. Dicebat inter alia: ſuſpicionem eſſe ſpeciem quandam probationis inducentem animum judicis ad aliiquid credendum, non vero habere eum probatio-nis gradum, quo fixe adplicat judeſx ille animum ad unam partem, ſed eum ambiguum reddere. Eadem & omnia hæcce verba, ſi recte explicantur, eodem mo-do ad præſumptionem & probabilitatem quadrant. Et quando poſt alios tres gradus ſuſpicionis adducit: hi, mo-do recte explicentur, nihil aliud ſunt, quam illi tres probabilitatis gradus, de quibus cap. I. §. XXIX. locuti ſu-mus. *Adminiculum* non vehemens deſcribebat Menochius (ſupra §. XIII.) quod ſit aliqualis conſirmatio rei proba-bilis. Ergo ſi *aliqualis conſirmatio* ſolum eft, nouum quidem gradum priori probabilitati ſuperaddit, interim tamen euidentiam nondum conſtituit, ſed probabilitas

adhuc manet. Idem de vehementer dicendum, quia enim hoc solum non operatur, id est, plenam probacionem non constituit, ergo in se consideratum nihil aliud est, quam probabilitas & verosimilitudo. Adminiculum vocatur, quoniam præter hanc probabilitatem alia quedam probatio jam existit, v. g. unius testis depositio, cui accedit; ast vero propterea in se consideratum non amittit naturam probabilitatis & præsumptionis.

## §. XVI.

Jam in viam redeamus. Diximus in §. IX. in causis criminalibus probationes luce meridiana clariores requiri, quando de sententia definitiva eaque pœnam capitis inferente concipienda agitur; extra hunc casum vero argumentis etiam probabilibus locum esse. Quæritur ergo, quemnam effectum ejusmodi probabilia argumenta producant? respondeo, non semper eundem, sed mox hunc, mox iterum aliud, prout diuersus probabilitatis gradus adest, minima enim circumstantia & hic rem variat, unde DD. communiter rem prudentis judicis arbitrio relinquunt, v. Menoch. *de arbitr. jud. quest.* l. 2. cas. 270. n. 3. Sed ita vagum, vel, ut aliqui loquuntur, effrenatum erit judicis arbitrium? mox huic occurrere student DD. nostri, & hinc inter alios Scaccia *de judic.* l. 2. c. 9. n. 186. sqq. certas regulas tradit. Judex deberet judicare secundum id, quod verosimile est. Reète. Quid vero est verosimile? hoc scilicet, quod conuenit juri naturali, quia verosimilitudo est cognata naturæ, Crauett. conf. 8. n. 5. Roland a Valle l. 4. conf. 49. n. 39. verosimile dicitur illud, quod conuenit juri communi, Crauett. conf. 75. n. 24. vel rationi, Scacc. loc. cit. num. 171. Plures ejusdem farinæ regulas referre tædet, quoniam nullius sunt momenti. Regulae

gulæ adlatæ in thesi recte sese habent: verum de eo in præsenti est quæstio: utrum judex propter indicia in actis obuenientia inquisito torturam dictare possit, & si dictauit: utrum sententia illius juri naturali, communii, imo etiam rationi conformis sit? jam nihil aliud responderi potest, quam quod hoc arbitrio judicis relinquendum sit, id est, quod judex juxta regulas interpretationis jus ad factum in actis obueniens applicare debeat.

### §. XVII.

Effectus itaque probabilitatis in causis criminalibus hic est, ut judex propter indicia, siue argumenta probabilia, mox inquisitionem, mox territionem verbalem, siue realem, mox etiam torturam ejusque vel primum, vel secundum, vel tertium gradum inculpato dicteret, pro diuerso probabilitatis gradu. Atque ut eo melius de illo probabilitatis gradu constet, in prouinciosis praesertim saxonis optime receptum est, ut in sententiis, quoties tortura dictatur, omnia indicia sigillatim recenseantur, quæ judicem ad ejusmodi sententiam ferendam commouerunt. Ita enim & ipse inquisitus & alii etiam judicare possunt, utrum sententia juri communii & rationi conueniat, an minus.

### §. XXIX.

Quod si nulla adest probabilitas: inquisitus absoluendus erit, neque enim tunc inquisitioni, neque torturæ locus datur. Quis v.g. crederet foeminis de magia inculpatis, quæ forsitan confitentur, quod Titium, vel Cajam in conuentu sagarum in monte Bruckero, dem Blocksberg/ vel Brocken/ viderint, vel ejus rebaptizationi a diabolo, prout nugantur, susceptæ interfuerint, nec non, quod Titius splendida veste induitus fuerit, quod hirco insederit, falta-

ue-

uerit, cetera. Optime Bruñemannus *in proc. crim. c. 4. n. 28.* quando, inquit, confessus garrit de præstigiis satanae, recta ratio docet, talem confessionem ad inquisitionem, nisi alia indicia concurrant, non sufficere. Et paulo post addit: quis sanæ mentis homo, aut qui aliquem usum sensus communis habet, poterit huic confessioni credere de aliis, nisi alia adsint. Imo *c. 8. membr. 5. num. 65.* ipsos judices peccata dignos censet, qui veneficas de sociis, quos in dicto monte viderunt, interrogant, confessiones actis ascribunt & ejusmodi præstigias pro veritate habent.

## §. XIX.

Quis porro crederet, indicium magiae adesse, si praetensa maleficia etiam summe in equuleo excruciatam lacrymas in conspectu judicis fundere non possit, quod credit Sprenger *in mall. malf. p. 3. qu. 15.* Ita nulla probabilitas commissi criminis veneficii adest, quando mulieres tortæ omnem sensum doloris amittunt & in somnum declinant, de quo Berlich. *p. 4. concl. 4. n. 167. sqq.* vel, quando quis nimis religiosum in actibus externis cultus diuini sese exhibet ac pietatem præ aliis adfectat, Manzius *in comm. ad art. 44. conf. crim. v. 21.* vel quando persona inculpata erecta & aperta fronte neminem adspicit, aut nimium olet, aut canes insolite gesticulantes, vel insolite magnitudinis unice magnificat & æstimat, quas & similes ineptias recenset Crusius *de indic. delid. p. 2. c. 32.* Sed nolo hisce resellendis diu immorari, cum Crusium similesque jam ex merito notauerit Dn. Bodinus *in dif. de fallac. indic. mag. §. 16. sqq.*

## §. XX.

Eadem ratione exploditur etiam indicium a supernatione personæ suspectæ desumptum. Quis enim probabilitatem tribueret rationi illi, quod aqua sagam propteræ

pterea in sinum suum recipere nolit, quoniam saga fœdus in baptismō cum Deo initum violauit? aliae ab aliis adductæ rationes ejusdem valoris sunt. Maxima diuini nominis profanatio deprehenditur in formula conjurationis aquæ, quam ex Jureto refert Petrus Heigius p.2. quest.39. num. 42. *Adjuro etiam te aqua per spiritum sanctum, qui super dominum in te baptizatum descendit, qui te inuisibilis sanctificatione sacramentum ad animarum purgationem inenarrabile constituit sacramentum, per quam olim & populus israeliticus sic cis pedibus transiuit. Ex aqua ferrum, quod casu ceciderat, Heliæus diuina virtute contra naturam natans in suo manubrio redire fecit, ut nullo modo suscipias hunc hominem, si in aliquo culpabilis est ex hoc, quod illi obicitur, scilicet aut opere, aut consensu, seu conscientia, vel quolibet ingenio, sed per virtutem domini nostri Iesu Christi rejice ex te & fac illum natare super te, quatenus cognoscant fideles Christi, nullum præstigium diuine virtuti posse resistere.* Homo in aquam projiciendus ita adjuratur: *quod si diabolo suadente celare disposeris & culpabilis exinde es, euaneat cor tuum incrassatum & induratum, & non suscipiat te aqua incredulum & seductum, ut dicat populus, quia Deus noster judex est, cuius potestas in secula seculorum.* Improbabilitatem prætensi hujus indicii fufius jam ostendit Heigius d. qu.39.

## §. XXI.

Diximus in §. XVII. effectum probabilitatis in criminibus esse, ut judex territionem, vel torturam inquisito dictare queat. Hoc jam, quantum quidem in specie ad torturam ipsam adtinet, ita limitandum est, modo delictum ita comparatum sit, *ut inquisito confessio, vel conniœdo, poena capitii, vel ad minimum poena corporis afflidiuia dictari possit, ne scilicet medium eruendi veritatem grauius*

F

uius sit, quam ipsa poena dictitanda. Ubique vero etiam ad vitam ante actam respiciendum est, ob inquisit eine solche Person sei zu welcher man sich der That versehen könne/ const. crim. art. 25. Sed quid jam faciendum, si persona ita suspecta sit, crimen tamen ipsi imputatum pœnam corporis adflictuam non mereatur? juramento purgatorio tunc dabitur locus, aut si inculpatus persona admodum leuis sit, juramenti loco territio verbalis substitui solet. Non tamen hæc ita accipienda sunt, ac si juramentum purgatorium in iis solum casibus dictetur, quando nec capitalis, nec corporis adflictiva pœna locum habet. Sane in casu homicidii similisque atrocioris delicti imputati saepe etiam ultrajuramentum purgatorium non progradientur judex, quando scilicet indicia remotiora saltem adsunt, nec ex vita ante acta probabile est, inquisitum ejusmodi delictum commississe.

## §. XXII.

Ponimus jam, inquisitum vel torturam sustinuisse, vel etiam juramentum præstisse; quæstio est: utrum nunc probabile saltem sit, an vero euidens inquisitum innocentem esse? existimamus, probabilitatem solum adesse, non vero evidentiam. Effectus hujus probabilitatis est, quod nunc quidem ab instantia absoluatur hoc modo: dieweis inquisit in der peinlichen Frage (vel dieweis er vermittelst Eydesh) erhalten, daz er v. g. Titium bößlicher Weise nicht entleibet; So ist nunehro wider ihm ferner nichts vorzunehmen, sondern er wird (pro re nata) der gefänglichen Hassi nunehro erlassen. Hæc itaque probabilitas nihil aliud est, quam præsumtio hominis, siue judicis. Quemadmodum vero præsumtio hominis alias semper probationem in contrarium admittit; Ita etiam

etiam hoc casu, si deinde noua indicia intuitu prioris delicti emergunt, contra inquisitum denuo processus inquisitorius instituitur, & saepe iterum ad torturam deuenitur. Evidentia ergo in sensu juridico non adest, nisi in illo casu, quando quis innocentiam suam per testes omni exceptione maiores probauit, v. g. per remotionem loci & temporis. Si inquisito imputatur, quod die 1. Septembris Halæ furtum commiserit, ille vero probet, se toto illo die non Halæ, sed Lipsiæ, vel in alio loco fuisse, v. *conf. crim. art. 47.* Et hinc nostro quidem judicio in ejusmodi casu solum pronunciari potest: daß inquisit von der wider ihn angestelleten inquisition zu entbinden.

### §. XXIII.

Interdum intuitu rei probatione & convictione nova est opus, sed ipse factum aliquod sponte confitetur. Hic causæ ciuiles a criminalibus probe sunt separandæ. In causis civilibus confessus pro iudicato est, qui quodammodo sua sententia damnatur, l. i. ff. *de confess.* ergo hic confessio evidentiam, evidentia autem condemnationem operatur. At vero in criminalibus ejusmodi confessio, etiam si iudicio facta fuerit, ad id non sufficit, ut iudex confitenti pœnam ordinariam imponere queat. Bene Ulpianus in l. r. §. 27. ff. *de quest.* si quis ultro de maleficio fateatur, non semper ei fides habenda est: nonnunquam enim aut metu, aut qua alia de causa in se confitentur, ubi simul exemplum adseritur de seruo quodam, Primituo, qui homicidium in se configere metu ad dominum revertendi suspectus erat. Eo itaque respiciendum, an probabilis & verosimilis sit ejusmodi confessio, de quo præcipue ex indagatione corporis delicti, ut vocant, aliarumque circumstantiarum constare potest. Ita v. g. quando foemina ultro confitetur, se in-

fanticidium commisisse, inquirendum est, an illi, inter quos persona confitens versata, signa grauiditatis unquam obseruauerint? an persona illa v. g. turnido utero, deinde vero mox iterum gracilis & pallida visu fuerit? ex ipsa confitente est quærendum: quo tempore partum enixa sit? ubi partum enecatum sepeluerit? & quæ sunt plura similia alia. Quod si itaque prævia adcurata inuestigatione de neutro horum satis constat, nec etiam cadauer infantis in loco designato, ad quem statim mittere debet iudex, reperitur: pœnae infanticidii ordinariæ locus non erit, quia non est probabile, delictum vere commissum esse, conf. Zanger. de quest. & tortur. c. 5. num. 24. sqq. Stryk. us. mod. ff. tit. de confess. §. 10. Idem obseruandum de confessione extrajudiciali, propter quam solam ad tormenta deueniri non potest, nisi ea sit verosimilis: Menoch. de presumt. l. 1. quest. 89. n. 17. Imo etiam intuitu confessionis sub tormentis factæ hoc probe considerandum, quo pertinet locus ex const. crim. art. 60. So auff erfundene redliche Anzeigung einer Missethat halb peinlich Frag fürgenommen/ auch auff Bekantnß des Gefragten = = fleißige mögliche Erkundigung und Nachfrage geschieht/ und in der selben bekanter That halb solche Wahrheit befunden wird/ die kein Unschuldiger also sagen und wissen kunt/ alsdann ist derselben Bekantnß unzweiflicher beständiger Weise zu glauben/ &c. adde Carpzonium in prax. crim. qu. 126. n. 14.

## §. XXIV.

Quando quis probationem per testes suscipit, saepius euenire solet, ut testes in depositionibus suis variij sint, dum alter factum controuersum negat, alter vero idem adfirmat. Dubium occurrit, cuinam major fides adhibenda, vel quod idem est, cuius depositio probabilior?

ICtus

I<sup>c</sup>tus Arcadius in l. 21. §. 3. ff. de testib. si vero, inquit, ex his quidam eorum aliud dixerint, licet impari numero, credendum est: sed quod naturae negotii conuenit, & quod inimicitiae, aut gratiae suspicione caret: confirmabitque iudex motum animi sui ex argumentis & testimoniiis, & que rei aptiora & veroproxi-  
miora esse compererit: non enim ad multitudinem respici oportet, sed ad sinceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux veritatis adficit. Eodem tendit Paulus in l. 114. ff.  
de R. J. dicens, in obscuris inspici solere, quod verosimilius est,  
add. c. 32. X. de testib. c. 45. de R. J. in 6. Probabilitas itaque interdum a personarum qualitate: interdum a modo depositionis: interdum a numero testimiorum: interdum quoque a negotii qualitate prouenit. Ita, si testes malæ famæ sunt & leuis opinionis, nulla vel modica fides eorum dictis est adhibenda, c. 9. X. de probat. Ita nulla probabilitas adest, si testes sibi met in ferie sui testimonii contradicunt, aut in testimonio sunt singulares, d.c.9. Praeualent itaque testes integræ existimationis & bonæ famæ & qui in depositione concordes sunt. Si omnes testes sunt ejusdem conditionis: plurimum testimonio statut, modo aptiora negotio & veroproxiomiora in suis testimoniorum expesserint, d.c.9. Ita quoque quia quælibet res præsumitur libera, magis creditur testibus de libertate deponentibus, quam illis, qui de seruitute testantur, Farinac. de testib. l. 3. tit. 7. quest. 65. Mascard. de probat. con cl. 1219. n. 21. testes enim, qui de seruitute deponunt, deponunt quod minus verosimile est, qui de libertate, quod probabilius, eum non sint verosimilia, quæ deuiant a naturali cursu, Ægid. Bossius de testib. tit. de opposit. contr. test. n. 96. Plurima igitur &c in hac materia a prudentis iudicis arbitrio dependent, qui ex circumstantiis occurrentibus in quolibet casu statuet, quid verosimilius sit, quid non.

§. XXV.

## §. XXV.

Addendum & hoc est, qnod nulla probabilitas ex dicto illius testis oriatur, qui rationem depositionis suæ reddere nequit, v. l. 4. C. de testib. unde dicere consueverunt, testem, qui adserti sui rationem reddere non potest, non ut hominem, sed ut brutum deposuisse, Seraphin. de Seraphin, de priu. juram. priu. 23. num. 211. Alexand. l. 6. conf. 150. num. 18. & plures, qnos citat B. Strykius in tract. de jure sens. proem. num. 28. sqq. Eodem modo testis depositio probabilis non est, quando is dicit, se certo non recordari, vel alternatiue respondet, Brunnem. ad l. 74. ff. de V. O. num. 6. quo casu autem probabilis, vel improbabilis sit obliuio a teste adlegata, de eo fuse agit Strykius cit. tract. de jure sens. dissert. 9. c. 2. num. 31. sqq.

## §. XXVI.

Progradiamur ad judicem sententiam ferentem. Generaliter hic dicunt DD. judicem nunquam judicare debere contra id, quod est verosimile, Rol. a Valle vol. 4. conf. 25. num. 15. Bursat. conf. 368. num. 40. cum tanta vis dicatur ejus, quod verosimile, ut casum legis pro se habere censematur, qui verosimile pro se habet, Sixtin. conf. Marburgens. vol. 3. conf. 7. num. 77. in thesi haec ita facile dicuntur. Quando autem in applicatione juris ad factum in casibus singularibus versamur, secundum ea, quæ in præcedentibus adtulimus, judex arbitrari debet, quidnam pro verosimili habendum, quid non.

## §. XXVII.

De nonnullis casibus specialibus hic interim dispiciendum erit. Quæritur: quando judex alteram opinionem judicat esse probabilem, an licet sequi minus probabilem? quosdam hoc admittere dicit Dn. ab Andlern in jurispr. publ. & priu. l. 2. tit. 3. n. 73. cum nec temere, nec imprudenter agat,

utpote ratione probabili ductus judex. Cum vero hæc opinio ex doctrina Jesuitarum de probabilismo *cap. I. §. XI. sqq.* a nobis jamdum rejecta profluat; hinc eidem subscribere nullo modo possimus. Rejicit eandem quoque ipse citatus illustris autor. Melior tamen, inquit, est sententia contraria, quod judicis causam sit dirimere, prout magis consentaneum ipsi videtur, & unicuique jus suum reddere secundum merita causæ, quæ potiora videntur pro illa parte, quæ majorem probabilitatem habet. Sed quid, si opinio minus probabilis in praxi sit recepta? eam hoc casu judicem sequi posse, addit idem, citans Zœsiūm *ad ff. de judic. n. 34.* nam, pergit, a sententia communi, nisi ei sit contrarius textus & evidens ratio, non facile discedendum, Zasius *ad l. 23. ff. de LL.* sententiae que communes plerumque sunt in praxi receptæ, Brunnem. *ad l. 23. ff. de LL. num. 2.* ubi monet, juuentutem quoque in academiis ad practicas sententias deducendam esse, ne in judiciis modo descendere debeant priuatas opiniones, quas in academis audiuerunt. Hactenus Dñ. ab Andlern. Si de eo certe constat, quod opinio minus probabilis in praxi sit recepta, ego facile largior, judicem ab eadem in pronunciando recedere non posse, quia communis est persuasio, ejusmodi receptam opinionem instar legis esse. Ita v. g. minus probabilis est opinio, quod successor singularis conductorem rei emtæ ante finitum tempus conductionis expellere queat, prout solidissime ostendit Dn. Zollius, ICtus Rintelensis *in diss. ad l. 9. C. locat. subrubr.* Kauff hebt Miethe nicht auf; interim tamen de eo constat, quod in plerisque nostris judiciis sententia contraria sit recepta, unde dicunt, Kauff geht vor Miethe/ & hinc judex hanc receptam opinionem omnino sequi tenetur, siue probabilis ea ipsi videatur, siue improbabilis. Quando autem de

re-

receptione certo non constat, judex secundum illud judicare tenetur, quod ipsi magis probabile videtur. Possunt hic certo modo illustrationis gratia applicari quæ ad compilatores pandectarum rescriptis imperator in l. §. 6. C. de vet. jur. encl. sed neque ex multitudine auctorum, quod melius & aequius est, iudicatore, cum possit unius (forfitan) & deterioris sententia & multas & majores in aliqua parte superare. Et quid juuat, si quis ad opinionem communem in praxi certo non receptam prouocat? certe, dantur opinione communes contra communes, prout inter alios ostendit Hieronymus de Cæuallois in *Speculo aureo opinionum communium contra communes*.

### §. XXIX.

Quid si una opinio jure canonico sit adprobata? glossa, prout eam allegat Stephanus Daoyz in *juris civilis sexto & novo volumine*, sive in indice omnium, quæ in textu & glossa continentur, verb. doct̄or, dicit: doctorum sententia hodie probabilis est, non tamen necessaria & si sint doctorum contrariae sententiæ, quarum una jure canonico decisa reperitur, aliis omissis secundum eam, quæ jure canonico est adprobata, judicabitur etiam in terris imperii & foro ciuili. Distinguendum hic est. Si certo constat, dispositio nem juris canonici in casu aliquo receptam esse: nullum dubium est, quin judex eam sequi teneatur, ex recepto enim nos stringit illud jus. Ita v. g. jure ciuili in usucacionibus bona fides ab initio saltem requirebatur, l. 48. ff. de usurp. & usucap. ast vero in c. f. X. de prescript. disponitur, bonam fidem integro tempore adesse debere, & ergo, quia hoc capitulum in praxi receptum, judex illud omnino sequi tenetur. Quod si autem de ejusmodi receptione certo non constat: juris canonici apud nos nulla est autoritas,

nec

nec illius opinio magis probabilis videbitur ex eo solo,  
quod jure canonico illa sit decisa, siue adprobata.

## §. XXIX.

*Si utraq[ue] opinio est & que probabilis, annon judicicas  
casus pro amico dabitur?* adfirmat Dn. ab Andlern *in jurispr.  
publ. & priu. l. 2. tit. 3. num. 71.* cujus verba, quamuis pro-  
lixiora, hic adponere necessum erit, ut deinde eo melius  
de nostra sententia constare possit. Ita vero ille: equi-  
dem, inquit, *Thessaur. decis. 206.* tales casus pro diabolo  
adpellat, quare alii rem forte dirimendam, quæ tamen  
sepius cadit in partem deteriorem: alii inter partes diui-  
dendam, cum Menoch. *de retinend. possess. remed. 3. n. 775.*  
Zoef. *ad tit. ff. de jud. num. 32.* per textum *in l. 41. ff. de he-  
red. insit.* alii arg. *l. 84. §. fin. ff. de legat. 1.* partes ad trans-  
actionem cogendas esse existimant. Ast, pergit, quia  
per diuisionem rei alter, cui res integra deberet, ejus  
parte de fraudatur, neque judex datus est, ut partes in-  
uitas ad transactionem compellat, sed potius, ut judicet,  
prout ipsi religio suggerit, *l. 79. ff. de judic.* sententia enim  
& litis decisio ab ipso requiritur, ut ea de causa a judicio  
abstinere nequeat, nisi collegas habeat, ut in casu *l. 56. ff.  
de re jud.* hinc, addit, quæstione juris dubii & paribus  
interpretum opinionibus utrinque agitati, si partes tran-  
sigere nolint & judicandum sit judici, non dubito, dari  
casum pro amico, & judicem salua conscientia ad alter-  
utram opinionem se determinare & eam sequi posse, cum  
Valentia, Seyro & aliis, cum & vi officii sui & justitiæ hoc  
in casu non teneatur magis uni, quam alteri, fauorabi-  
lis judicij bonum applicare, si enim paria sunt rationum  
pondera, utramlibet sequi posse judicem. Panormita-  
nus tradit *in e. 1. de confit. n. 15.* quia quamlibet sequendo  
prudenter operatur, D. Tabarel, *de fatis. de judic. c. s. tit. 12.*

n. 2. &c. 6. tit. 3. n. 47. ubi quærit, an judex peccet, si aliquid accipiat, ut hanc potius, quam aliam sententiam sequatur. Neque hic est respectus personarum, qui impedit justitiam, qualis tantum improbatur in l. 13. ff. ad S. Trebell. nec alteri infertur injuria, si quæstio secundum hunc determinetur. Nam judex hic judicat secundum veritatem judicialem, & credit hunc hominem habere jus, ergo potest pro illo judicare cum illa æquali probabilitate, Card. Lugo *disp. 37. scđ. 10. n. 115.* stante enim æquali probabilitate circa jus utriusque partis, potius est, ut judex se exponat periculo aberrandi a vero, adjudicando uni, cui voluerit, solidum; quam ut certam & evidentem injustitiam committat, priuando verum dominum re sua ex dimidia parte. Judex enim ex officio tenetur in veritatem inquirere & pro ea sententiam ferre, quod non faceret, si pro utroque pronunciaret, illisque bona, in quæ jus habent æque probabile, diuiderer, cum secundum rei veritatem totius rei dominium sit tantum penes alterum. Cedit enim jus adparens, quod utriusque æquale esse videatur, juri reali, quod secundum rei veritatem penes unum est: nec potest tacite eligi jus adparens nisi cum de jure reali evidenter non constat, cum tamen hic supponatur, jus reale alteri parti indeterminate sumtæ ex integro & non tantum ex parte competere. Et hanc sententiam defendunt Sanchez, Sotus, Valentia, Manuel, Ledesma, Vasquez, Azorius.

### §. XXX.

Hactenus verba Dn. ab Andlern retulimus. Dolemus, quod vir illustris autoritate Sanchezii, Vasquezii, & filium scholasticorum capitum captus talia defenderit, abstrahendo enim ab illorum autoritate argumenta adducta sufficere non videntur. Nos quidem in concursu opinionum

nionum æque probabilium neque sorte rem dirimendam, neque inter partes eam diuidendam, neque ad transactio-  
nem litigantes cogendos esse existimamus, & ergo quæ  
contra DD. has opiniones fouentes adductæ fuerunt, ad  
nos non pertinent; nihilominus tamen hic casum pro  
amico esse non credimus. Judex debet judicare. At ve-  
ro quando judex casum pro amico statuere vult, tunc non  
judicat, sed ex amicitia priuata illi, cui præ altero fauet,  
aliquid tribuit, hoc autem non pertinet adjudicem, qua-  
tenus talis est, qualis tamen hic esse debebat. Quid est,  
si hic respectus personarum non est, qui iustitiam quam  
maxime impedit & per quem alteri omnino infertur inju-  
ria. Dicebatur: *judicem hic judicare secundum veritatem  
judicialem eumque credere, hunc hominem habere jus, ergo  
posse judicem pro illo (amico) judicare cum illa æquali proba-  
bilitate;* hoc non comprehendo. Probabilitas, ut sup-  
ponebatur, ab utraque parte aderat, quomodo itaque ju-  
dex in hoc casu secundum veritatem judicalem judicare  
& credere poruit, hunc hominem jus habere, scilicet jus  
fortius, quam aduersarium ipsius, nam pro aduersario ex  
supposito æque fortes rationes adductæ erant. Porro ad-  
ducebatur: *stante æquali probabilitate circa jus utriusque  
partis, potius esse, ut judex se exponat periculo aberrandi  
a vero, adjudicando uni, cui voluerit, solidum, quam ut  
certam & euidentem iustitiam committat, priuando verum  
dominum re sua ex dimidia parte.* Miror, quod horum ver-  
borum connexionem adsequi non possim. Potius est, ut  
judex se exponat periculo aberrandi a vero, (quis hoc cre-  
deret?) quam ut certam & euidentem iustitiam commit-  
tat, priuando verum dominum re sua ex dimidia parte.  
Atqui supponebatur mox ab initio, *utramque opinio-  
nem æque probabilem esse.* Unde ergo jam adparebit, ju-  
dicem

dicem certam & euidentem injustitiam commissurum esse, si casum pro amico non exerceat, nam in hoc, quod probe notandum, status controuersiæ positus erat. Atqui, instant, verus dominus re sua ex dimidia parte priuatur, scilicet iterum ex supposito, si casus pro amico non exercetur; atqui, ego respondeo, nondum constat, quisnam ex litigantibus sit verus dominus, & ergo nec constat, ad quemnam vel integra res, vel dimidia ejus pars pertineat, utriusque litigantium opinio enim æque probabilis erat. Valeat ergo Valentia, Seyrus, Vasquetius, Sanchezius, Manuel, Sotus, Ledesma, & reliqui, qui hosce sequuntur.

### §. XXXI.

Ergone, inquis, tu vis prudentior esse tot luminibus speculantibus? absit, ego saltem doleo, me ipsorum abstrusas & reconditas speculationes adsequi non posse. Dixi, eos valere debere: valeant adhuc semel iterumque. Sed quid jam statuendum in ejusmodi casu, quando utraque opinio est æque probabilis? respondeo, judicem, cui utraque opinio æque probabilis est, nihil omnino statuerem posse, perea, quæ in simili casu de conscientia dubia dixi cap. 1. §. VI. quia qui ex utraque parte rationes æque probabiles habet, plane non judicat, sed judicium suum suspendit. Pertinet huc exemplum, quod ex Gellio l. 12. c. 7. refert Dn. ab Andlern loc. cit. num. 72. quod cum Smyrnæ ejusmodi casus dubius accidisset, delata ad Proconsulem Asiae Dolabellam quæstione hæsitans Dolabella, quid statui oporteret, rem delatam ad se rejecerit Athenas ad Arcopagi cognitionem: Areopagitæ autem & accusatorem & reum post centum annos citauerint, differendo damnandi atque absoluendi inexplicabilem cunctationem tegentes. Nollem tamen, reum post centum aut

aut nonaginta nouem annos demum citari, hoc enim tempus regulariter excedit terminum vitæ humanæ; sed res a judice vel ad superiorem referenda, vel ad unum alterumue collegium ICtorum transmittenda, ut hoc causam dubiam decidat. Casus enim non est dubius, ut in uno eodemque casu rationes ex utraque parte occurrentes omnibus æque probabiles videantur.

## §. XXXII.

Succedit quæstio: *an aduocatus sententiam minus probabilem sequi possit?* adfirmat eandem Dn. ab Andlern loc. cit. nunn. 74. aduocatus, inquit, sententiam minus probabilem sine dubio sequi potest, quia nihil auferit alteri, sed tantum fundamenta juris & facti suo clienti fauientia judici proponit. Sic tamen, addit, id ei licet, ut clienti veritatem juris causæ suæ aperiat, nec certius illi promittat sententiam, quam debet. Pessime enim illi agunt, qui semper lites & actiones suadent, magnisque scripturarum voluminibus & longa verborum farragine miseris clientibus victoriam pollicentes eos improbe circumducunt, saltem, ut loculos eorum emundant, licet præuideant injustitiam causæ. Ego quidem nec hanc adsertionem ita simpliciter admittere possum. Dicebatur: *aduocatum nihil auferre alteri*, quamuis sententiam minus probabilem sequatur; mihi siccus videotur. Aduocatus minus probabilem sententiam sequens nihil aliud agit, quam ut processum protrahat, &c, ut multa paucis dicam, aduersarium vexet. Effectus protractionis litis est, quod aduersarius, qui vexatur, magnas easque plane inutiles expensas facere teneatur. An non ergo hic multum alteri auferitur? Si aduocatus clienti veritatem causæ suæ aperit: ipsum simul a suspicien-

G 3

da

da lite dehortari operasque suas denegare tenetur, alias enim hujus aperturæ, ut ita loquar, nullus esset effectus. Noui quidem vulgarem prætextum: si ego operas non præsto, aliis in promptu erit, easdem præstiturus; verum hic prætextus æque absurdus est, ac si dicerem: perpetrabo delictum aliquod, quamvis enim ego illud non perpetrem, multi tamen adficiunt, qui illud perpetrabunt. Hoc facile concesserim, quod in causis criminalibus quodammodo dubiis aduocatus inquisitum defendere possit, quamvis præuideat inquisitum sententiam pure absolucionem obtainere non posse. Forte enim aliquid occurrit, quod mitigationem pœnæ operari potest, nec etiam hoc casu aliquid alteri aufertur, nec lis protrahitur. Judices etiam in causis grauioribus aliis deficientibus ex officio defensorem constituere solent, ne quid prætermitatur, quod ad excusationem inquisiti aliquo modo facere potest.

## §. XXXIII.

Pergamus ad alia. Magnus probabilitatis effectus etiam in materia *de restituzione expensarum litis* deprehenditur. Victum victori ad expensas teneri, notum est *ex l. 79. pr. ff. de judic.* Addi tamen solet exceptio, nisi *victus probabilem litigandi causam habuerit*, *l. 78. §. 2. ff. de legat. 2.* Quæritur: quænam sit ejusmodi probabilis litigandi causa? adesse eam dicunt, si quis duorum, vel unus excellentissimi ICtori responsum pro se producat, Gail. *1. obs. 152. n. 6.* Carpzou. *p. 1. c. 31. def. 27. n. 5.* multo magis ergo, si ab integro ICtorum collegio illud responsum obtinuerit, modo tamen fideliter negotium retulerit, nec dolose in facto quædam reticuerit, uti optime monet Strykius *in caut. contract. scil. 2. c. 11. §. 18.* quamvis in Pomerania in ordinatione dicasterii aulici paulo aliter statutum sit

tit.

*tit. 66. §. 3. verb. dabey wir dann die bisher eingeschlichene  
Meynung / daß nemlich zweyer Doctorum Beyfall a te-  
meritate und selgends a condemnatione in expensas libe-  
riren solle/ ausdrücklich verwerffen/ und hingegen Unser  
Hof-Gericht anweisen/ nicht so leicht die Kosten zu com-  
pensiren. Porro probabilem litigandi causam habuisse cen-  
setur vietus, si unum testem omni exceptione majorem a  
sua parte habuit, interim tamen propter pluralitatem te-  
stium alterius partis succubuit: aut, si actor semiplene so-  
lum probauit, ubi vietus credere potuit, actorem haud  
juraturum esse: aut, si causa ex juramento litisdecisorio  
a parte delato decisa: aut si ab initio obtinuit, in leutera-  
tione autem, vel appellacione succubuit: aut, si habuit  
testes, qui extra judicium jactabant, se scire veritatem,  
at producti in judicio recedunt, vel contrarium deponunt,  
vel judicio pendente moriuntur: aut, si habuit pro se in-  
strumentum obligatorium, contra quod ostensa fuit so-  
lutio, maxime si heres ex persona defuncti agat: aut,  
quando quæstio in puncto juris admodum dubia, de qui-  
bus & aliis agunt Carpzou. p. i. const. 31. def. 27. 28. 29. & 31.  
& Brunnemannus in proc. civ. c. 27. n. 78. an & ab expensa-  
rum refusione liberandus erit, qui de calumnia jurauit?  
adfirmat Carpzouius d. c. 31. def. 30. negat vero Brunnem-  
mannus d. c. 27. n. 78. nos Brunnemanno accedimus, quo-  
niam juramentum calumniæ probabiliter quidem a ca-  
lumnia & dolo liberat, neutquam vero a temeritate, quæ  
culpæ species est.*

*§. XXXIV.<sup>1</sup>*

Bona fides in materia præscrptionis nihil aliud est,  
quam opinio, sive probabilitas, autorem meum rei in  
me translatæ dominum fuisse, & hæc adquisitionem do-  
minii operatur, si reliqua requisita concurrant. Peri-  
torum

torum in arte testimonium in pronunciando sequitur iudex, quoniam probabile est, eos juxta regulas artis testatos esse: contra verosimile non est, compulsum in urbe inique indebitum soluisse eum, qui claram dignitatem se habere prætendebat: cum potuerit jus publicum inuocare, & adire aliquem potestate prædictum, qui utique vim eum pati prohibuisset, unde hujusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes violentiae opponere.  
*l.23 pr. ff. quod met. caus. ignorantia facti alieni probabilis est, de quo nonnulla lectu digna habet Strykius de jure sens. diff. 9. c. 2. num. 41. sqq.*

### §. XXXV.

Quantus vero adhuc differendi campus sese aperit! integrum tractatum eumque non exiguae molis conscribere possem, si modo confusas doctrinas, quæ in libris Menochii de præsumptionibus & arbitrariis judicium quæstionibus, nec non in Crusii libro de indiciis occurrunt, paucis recensere & monita mea binis verbis subjecere vellem. Sed quomodo hoc Augiæ stabulum purgari possit in dissertatione academicâ, cui angusti limites statuti sunt. Manum ergo nunc de tabula. Si non evidentia, admodum tamen probabilia esse confido, quæ in hocce specimine proposui. Si quis probabiliora me docuerit: probabilia mea derelinquam. At propter minus probabilia a probabilioribus meis non discedam, neque enim inter eos nomen profiteor, qui absonum probabilismum effingunt.

Tartum,

SOLI DEO GLORIA.

Halle, Diss.) 1714 TA-2



sb.







1714, 15<sup>a</sup> 6  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS  
DE  
**PROBABILITA-**  
**TE EJUSQUE EF-**  
**FEKTU,**  
QUAM  
DEO T. O. M. ADNUENTE,  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DOMINO CAROLO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, RELIQUA,  
IN ILLUSTRI ACADEMIA FRIDERICIANA,  
*EX DECRETO ET AUCTORITATE ILLUSIRIS ICTORUM ORDINIS*  
PRAESIDE  
**DN. JACOBO FRIDERICO**  
**LUDOVICI,**  
J. U. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR.  
**PRO LICENTIA**  
SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-  
GIA DOCTORALIA RITE CAPESSENDI,  
in Auditorio majori horis ante - & pomeridianis  
d. Nouembris. A.R.S. MDCCXIV.  
*PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT*  
**IO. GERARDUS SCHLITTE,** Halberstad.

HALAE MAGDEB. Litteris STEPHANI ORBANI, Acad. Typograph.

